Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 119
Quelle:
Copyright:

Principium Jani ſancit tropicus Capricornus.
Menſe Numae in medio ſol diſtat ſidere Aquar I.
Procedunt duplices in Martia tempora Piſces.
Reſpicis Apriles, Aries Phryxaee! Kalendas.
Majus Agenorei miratur cornua Tauri.
Junius equeſtres coelo videt ire Laconas.
Solſtitio ardentis Cancri fert Julius aſtrum.
Auguſtum menſem Leo fervidus igne perurit.
Sidere, Virgo! tuo Bacchum September opimat.
Aequat (et?) *October ſementis tempora Libra.*
Scorpius hibernum praeceps jubet ire Novembrem.
Terminat Arcitenens medio ſua ſigna Decembri.

Ordo Librorum hic eſt: IV. *Evangelia. Actus. Epiſtolae Canonicae*, ubi *Job.* I. c. 5. Teſtimonium terreſtre integrum a prima manu coeleſti integro praepoſitum eſt. *Apocalypſis. Epiſtolae Pauli*, quarum quae ad *Coloſſenſes* eſt, inter Epiſtolas ad *Timotheum* et *Titum* ponitur, et ſpuriam ad *Laodicenſes* poſt ſe trahit. Finem facit *Lectionarium* totius Anni, in quo poſt omnes Dominicas habetur *Dominica de Trinitate.* Codicem in *Italia* ſcriptum fuiſſe arguit *Madius, Octuber.*

Fol. 158. p. 2. currente Sec. XIV. calamo per 7. columnas continuata, nec tamen finita adjecta eſt Fabula inſignita: *Interrogatio iohannis apoſtoli et evangeliſte in cena ſecreta regis celorum de ordinatione mundi iſtius et de principe et de adam.* Initium tale: *Ego Johannes particeps in tribulatione et regno dei ubi eſſem particeps quia et recumbens in cena ſuper pectus ihesu criſti domini noſtri, dixi, domine, quis tradet te. et dominus dixit mihi, qui intinxerit manum in catino et introibit in eum ſathanas, ille tradet me. Et dixi, domine antequam ſathanas cecidiſſet, in qua gloria aſſiſtebat apud patrem?* Hinc jam ſomnia impoſtoris. Inter alia: *Diabolus intrauit in paradiſum et plantauit arundinem in medio paradiſi, et de ſputo ſuo fecit ſerpentem, et precepit ei in arundine manere* &c. Meminiſſet certe impudentis hujus Commenti in *Cod. Apocr. Novi Teſt. Fabricius*, ſi vulgo notius foret.

LXXIX.

Codex chartaceus boh. Sec. XV. Folior. 318. f. per duas columnas luculente exaratus et rubro enotatus *Novum Teſtamentum* integrum eſt e recenſione *Martini Lupacii*, de quo Viro dixi *Vol.* I. P. 2. *col.* 2388. et P. 3. *col.* 2899. R. 2128 Eſt haec Recenſio, ut me docuit Cl. *Joſeph Dobrovius*, emendatior Exemplo *Zierotiniano* hoc *Vol.* relato, ſenſum difficilioribus in locis phraſi genuina Bohemica exprimere ſtuduit, proximeque recenſionem omnium poſtremam in Mſſ. praecedit. Poſt *Apocalypſin* hanc habet